

Q.N. 230. 4.

Ya
1544

1

MEMORABILIVM
BIBLIOTHECAE CHEMNICENSIS

PART. I.

EDIT. ET SIMVL

AD

ACTVM VALEDICTORIVM

PRIDIE. NON. APRIL.

A. R. S. cIo Id cc LXVIII.

HORA IX. INSTITVENDVM

GRAVISSIMOS. SCHOLAE. INSPECTORES

PATRONOS

FAVTORES. QVE. REL. LITTERARIAE. OMNES

SVMMA. ANIMI. VENERATIONE

INVITAT

M. IOAN. GEORG. HAGER

RECTOR.

CHEMNICII

IMPRESSIT. IOAN. CASPAR. PHILIPP. GROLL.

BIBLIOTHECA
CHEMNICAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)



ostrae, quae in usum Scholae Chemnicensis auspiciis diuinis et beneuolorum munificentia patronorum magis magisque augetur, Bibliothecae indicem concinnaturo in lucemque publicam edituro grauissimos mihi subeundos esse labores, quiuis harum rerum peritus facile concedet: Sed graue et molestum hoc onus mihi leue et iucundum fore profiteor, si operis huius suscepti professio, non gloriae, aut laudis causa facta, exoptatum obtineat finem suum. Exopto nimirum, ut omnibus et singulis, quos humanissime inuito, Scholae nostrae fauentibus liberalitatem suam erga bibliothecam nostram testandi praebear occasionem, antequam hoc opus ad finem perducam. Multiplicetis mihi, precor, laborem! Ego vero uestram multiplicabo laudem.

Sed alia praeterea eaque iucundissima adest causa, cur labor hic grauis mihi leuis uideatur, quia euoluenti mihi varia *antiquissima et rarissima*, quibus bibliotheca nostra abundat, volumina multa occurrunt lectu memoratuque dignissima, quibus celeberrimi IO. ALB. FABRICII *Bibliotheca Latina mediae et infimae aetatis VII.* Voluminibus Hamburg. 1734. seqq. edita, et alia istiusmodi scripta litteraria vel suppleri, vel augeri, vel emendari possunt. Nonnulla igitur harum rerum iucundarum utiliumque sub inscriptione: *Memorabilia Bibliothecae Chemnicensis*, beneuolo cum lectore communicare decreui. Primum nunc prodeat liber, in cuius fronte legimus:

Liber facetidocens mores hominum praecipue iuuenum in supplementum illorum qui a cathone erant omissi iuuenibus uiles.

His uerbis subiecta est figura ligno incisa, quae doctorem a) in catho-

a) Eandem hanc figuram in fronte *Problematum ARISTOTELIS* in 4. sine

cathedra sedentem libròque aperto instructum repræsentat, cuius caput istiusmodi, quo sancti pingi solent, nimbo circumdatum viderur. Ad pedes illius duo sedent pueri libros in manibus tenentes. A sinistra illius in schedula sic dicta volante hæc leguntur verba:

Accipies tanti doctoris dogmata sancta.

Titulus, ut appellant, columnarum, vulgo *der Columnentitul*, hic est: *Liber metricus Faceti morosi*: Et in fine legimus ita: *Explicit liber morosi Faceti cum notabili glosula. Impressus Colonie per Henricum Quentell.* in 4. fol. 16. Annus impressionis quidem deest, sed ex caractere typorum, ex typographia et ex figura præmissa recte, ni fallor, concludimus, circa annum 1490-1492. hunc libellum esse expressum. FABRICIVM b) si euolues, inuenies hæc: FACETVS, poema Anonymi leoninum de officiis cuiusque erga DEVM, alios homines et seipsum.

Extat inter auctores octo morales, c) qui scholiis illustrati prodierunt Colon. 1520. 4. Allegatur ab Ugutione Pisano, qui scripsit circa a. 1192. Vide CANGII præf. ad Glossarium Latinum §. 46. d)

(2

Ha-

anno et loco impressionis editorum inueniens et iisdem fere verbis describens in Apparatu suo Litterario T. II. p. 939. Lips. 1752. 8. doctissimus FRID. GOTTHELF. FREYTAGIVS hæc figura, inquit, ARISTOTELEM designari in propatulo est. Sed pace illius hoc ego nego. Deprehendo enim hanc figuram præfixam non solum nostro *Faceto moroso*, sed etiam libello de penitentia et eius circumstantiis omnibus saluari volentibus summe necessario, Colonie per *Henr. Quentell*, 1492. 4. et Floreto S. BERNARDI in 4. Hinc non Aristotelem, sed potius S. BERNHARDVM, aut quemuis doctorem moralia docentem indicat hæc figura, quam *Henr. Quentell* libris moralia tradentibus a se impressis præfixit. Ex hoc etiam discimus, Aristotelis Problemata prodiiisse e typographia Quenteliana circa hoc tempus, quod FREYTAGIVS dicere ibidem non poterat.

b) Bibl. Lat. med. et infimæ aetat. Lib. VI, p. 426. Hamb. 1738.

c) Hi sunt: Cato, Theodulus, *Facetus*, carmen de contentu mundi, Tobias Matthæi Vindoc, Alani parabola, Fabulae Aesopi, et *Floretus*, addito Io. Sulpicii Verulani carmine de moribus puerorum.

d) non § 45. ut Fabricius habet, agit Cangius de Ugutione, quem scribit a 1212. natum esse, ex quo de ætate Faceti coniectura aliqua fieri potest, quia Ugutio Faceti mentionem facit, ut idem Cangius in Indice p. 112. tradit, Edit. Francof. 1710. f. Meminit. quoque illius. MICH. NEANDER in Ethica sua vet. P. II. p. 92. 1586. 8. et varios ex illo repetit versus.

Haecenus Fabricius. Haec igitur nostra prima editio nostri Faceti diligentissimo Fabricio aliisque incognita erat, id quod non taxandi, sed supplendi causa monemus. De auctore deinde et ipso hoc libello meliora docet editoris anonymi praefatio, quae his verbis concepta est: e)

Seneca in libro de quatuor virtutibus in capitulo de continentia dicit: Sermones viles magis quam facetos et affabiles ama, erectos potius quam obsecundantes. Insequentes igitur hanc auctoritatem non curemus si libellus praefens non rethorice siue multum ornate loquatur, sed dumtaxat ea quae sunt dicenda dicat. In principio cuius (vt in aliis) sex queruntur per ordinem, scilicet causa materialis, causa formalis, efficiens et finalis, quis sit titulus, et cui parti philosophiae supponitur. *Causa* igitur *materialis* siue materia huius libri sunt mores hominum, et praecipue iuuenum, non quidem omnes, sed solum *illi* de quibus catho nullam facit mentionem. *Causa formalis* est duplex, scilicet tractatus et tractandi. *Causa tractatus* est modus diuisiuis, diuiditur namque iste liber in prohemium et tractatum. Prohemium incipit hic (Cum nihil vtilius) et tractatus incipit hic (Cum nihil absque deo) qui quidem tractatus continet tria capitula, vt postea dicitur. Sed forma tractandi est modus procedendi qui est metricus et examerter siue heroicus, Fuit enim inuentum istud genus metrorum ad gesta heroum describenda, vt Virgilius in libro enei, dicit, sed tandem vsu nostro sic aboleuit, vt quolibet genere dicendi vnusquisque hoc vtatur metrorum genere. *Causa* vero *efficiens* fuit *quidam regens parisius* qui vt dicitur *nominabatur Facetus*, qui quumque videbat scolares siue scolasticos suos in moribus deficere, nitentur circa omnes mores per dicta et documenta cathonis eos redarguere, et quia pluries non poterat auctoritatem in cathone reperire, quae defectui scolarium coaptaretur, et praecipue pro statu ecclesiae et mense meditatus est documenta aggregare omnia quae ab eodem cathone in moribus extiterant pretermissa, quod et tandem perfecit et *nomine suo* suum opus nominauit. *Causa finalis* est vt cathone cum hoc libro intellecto et memorie commendato *apud deum* vel *proximum* siue *nosmet ipsos* nunquam in moribus vacillemus siue

e) Huius praefationis retinimus orthographiam, vt ea typis impressa est.

ue modo erremus quoquo. vt sic finaliter ad felicitatem peruenire
valeamus, Titulus istius libri est. *Incipit ethica morosi Faceti.* et
supponitur philosophie morali. Solet enim sic communiter descri-
bi. Facetus est quidam liber metricus a *magistro Faceto* editus. lo-
quens de preceptis et moribus a cathone in sua ethica obmissis. Et di-
citur Facetus per ethimologiam quasi fauens cetui. id est placens
tam in dictis quam in factis populo.

Hanc praefationem hoc excipit prooemium carminis:

Cum nihil vtilius humane credo saluti
Quam rerum *nouissime* (f) modos et moribus vti
Quod minus exequitur morosi dogma cathonis
Supplebo pro posse meo monitu rationis
Assint ergo rudes sitientes pocula morum
Hinc fontem poterit haurire leporis odorum
Hic quoque cum fructu parit ortulus vndique flores
Ex quibus indocti poterint excerpere mores.

Copiosa huic prooemio, vti et sequenti carmini, subiecta sunt
scholia, quae ab auctore praefationis anonymo originem suam trahe-
re videntur. Scripta sunt stilo tunc temporis consueto, hoc est pa-
rum terso et puro, partim rem, partim verba explicantia, et saepius
ordinem constructionis tantum indicantia. Carmen Faceti, quod *ducen-
tis septuaginta duobus* leoninis absoluitur versibus eadem fere ratione
conscriptum est. Saepius quidem contra regulas profodiae syllaba-
m praecipue finalem natura breuem producendo et longam corri-
piendo peccauit poeta; Lectu tamen iucundum et vtile est illius car-
men, quia morum praecepta iuuenibus admodum necessaria tradit.
Prima pars carminis sic incipit:

Cum nihil absque deo sit proficui vel honoris
Primum regna dei queres in omnibus horis
Et sic omne bonum tibi plenius aditietur
Quisquis deo seruit regnare deo perhibetur
Solum crede deum. quem credis semper adora
Et quicquid facias. quod ad ipsam spectat honora.

) 3

Altera

f) Nouissime. Est error typographicus. Lege *nouisse*. In editione nostra
calamo emendatus est.

Altera pars, quae officia erga alios in se continet incipit ita:

Rusticus est vere. qui turpia de muliere
Dicit: nam vere fumus omnes de muliere
Si tibi sit coniunx lingua manūque rebellis
Ne secum dānneris eam de iure repellis
Si tibi natus. peccantem corrige gnatum
Neue suum gratis dicaris fouere reatum.

Et tertia pars de officiis erga semet ipsum hoc habet initium:

A fumo. stillante domo. nequam muliere
Te remoue. tria sunt. quae possunt valde nocere
Duc tibi comparem morum sponsamque venustam
Si cum pace velis vitam deducere iustam
Si tibi contigerit te cum meliore federe
Versus eum nolito genu sub crure tenere

Et tandem finis huius carminis hic est:

Filia si tibi sit cui vernat nubilis etas
Claustri. siue viri properes huic iungere metas
Raro breues humiles vidi. rufosque fideles g)
Albos audaces: miror longos sapientes
Sedulus in studio puer in templo pius esto
Pacifice redeas per vicos atque plateas.

Et haec de rarissimo libello FACETI sufficiant. Huic quidem
Floretum S. BERNARDI adiungere decreueram: Sed angustia char-
tae hoc prohibet. Nunc enim conuerto me ad iuuenes quosdam ob
morum suauitatem non solum, sed etiam ob diligentiam commenda-
tione dignissimos. Ita vero prodibunt:

I. IOANN. GOTTLÖB. TENNER, *Ernstthal, Schoenburg.* de
vtilitate et necessitate Matheos dicurus *lat.*

II. EMANVEL FRIDERICVS SCHMIDIVS, *Ernstthal, Schoenburg.*

Honesti, sed nunc b. defuncti ciuis *Ioan. Schmidii* dilectissimus
filius

g) Hos versus exhibet NEANDER I. c. p. 119, b.

filius et per septem annos noster carissimus discipulus. Haud fucatae enim non solum pietatis, sed etiam egregiae industriae in excolendis linguis bonisque in artibus ardore cum laude eminere laboravit. Morum praeterea et virtutum elegantia quam plurimos sibi conciliavit patronos, qui beneficiis illum exornarunt eximiis. Dexteritatis suae publica quoque edidit specimina. Sic d. III. Non April. A. cło 1000CLXVI. declamationem de grato animo *latinam*, d. XIII. Cal. Nouembr. illius anni de subsidiis eruditionem assequendi *teutonicam* habuit, adiuncto *carm. teut.* quo abiturienti *Hertelio* bona verba dixit. D. IX. Cal. Maii A. cło 1000CLXVII. de origine nostrae felicitatis DEO peroravit *graece*. Et hoc anno d. III. Non. Mart. *carmine* elegantissimo *latino* typis impresso cecinit fata et incrementa Chemnicii simulque M. CHRIST. FRID. IVNGERO, Conr. nostro meritissimo diem onomast. gratulatus est. Generosissimorum quorundam virorum apud nos degentium vitam filiis non indignus fuit praceptor. Nunc vero Lipsiam reperiturus gratissimam benefactoribus suis significabit mentem *carm. teut.* praemissa *orat. teut.* de sapientia. Hunc excipiet eadem laude maerandus

III. GEORG. HENRICVS KVHNIVS, *Grosmlkau Misp.* Qui patrem agnoscit honestum ciuem *Ioan. Godofr. Kubnium*. Hic praeclarae indolis ac optimae spei iuuenis per septem quoque annos nostram diligentissime frequentavit scholam, et quamdiu frequentavit non inuis ad quacuis honesta et laude digna duci se passus est. Verae, quae multis pro dolor sordet, pietatis integerrimus fuit cultor. In addiscendis linguis, artibus atque scientiis, nec non in domi perlegendis libris assiduam, quae requiritur, diligentiam adhibuit. Hinc etiam factum est, ut eximios faceret progressus. Suauissimos, qui iuuenem ornant, mores et nobis et aliis luculentissime probavit. Neque ipsi, pietatis enim et virtutis cultori nunquam deerunt, defuere patroni benevoli, qui liberos suos informandos illi concederent illumque largissimis beneficiis exhilararent. Publice quoque suam demonstravit diligentiam. D. X. Cal. Maii A. cło 1000CLXVI. de primario artium scientiarumque scopo dixit *teuton.* et d. XIII. Cal. Nouembr. istius anni praestantiam religionis decantavit *carm. teut.*
Lipsi-

QK Ya 1544

X 2993238

VD 18


Lipsiam abiturus nobis vltimum vale dicit *car. teut.* praemissa *orat.*
lat. de vtilitate et iucunditate Physices. Quo facto

IV. IOAN. GOTTL. EBERSBACHIVS, *Ernsthal. Schoenburg.*
hos abiturientes plausibus et piis, vt merentur, votis prosequi stude-
bit *car. teut.* praemissa *orat. graeca*, qua demonstrabit, certitudinem
animi immortalis plurimum ad felicitatem huius vitae conferre.

VOS, INSPECTORES SCHOLAE SUMMO, QVO DE CET, PIE-
TATIS CVLTV COLENDI, et VOS OMNES, PATRONI AC FAVTORES
VENERANDI, enixissime rogo, vt honorifica exoptatissimaque prae-
sentia VESTRA dicturos beneuole dignari velitis, quod beneficium
VOS haud ingratis collaturos esse, persuadeatis VOBIS precamur.
P. P. Chemnicii, d. I, April. A. R. S. cIo Io cclxviii.



no



B.I.G.

Farbkarte #13

AN. 230. 4

Ya
1544

1

MEMORABILIVM
BIBLIOTHECAE CHEMNICENSIS

PART. I

EDIT. ET SIMVL

AD

ACTVM. VALEDICTORIVM

PRIDIE. NON. APRIL

A. R. S. MD CC LXVIII.

HORA. IX. INSTITVENDVM

GRAVISSIMOS. SCHOLAE. INSPECTORES

PATRONOS

FAVTORES. QVE. REI. LITTERARIAE. OMNES

SYMMA. ANIMI. VENERATIONE

INVITAT

M. IOAN. GEORG. HAGER

RECTOR.

CHEMNICII

IMPRESSIT. IOAN. CASPAR. PHILIPP. GROLL.

